Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.

Wien, 1802 Seite 2059

Quelle:
Copyright:

mittitur *Prologus IIII^or. Evangeliorum. Plures fuiſſe, qui Evangelia ſcripſerunt* &c. et *Epiſtola Sancti Jeronimi ad Beatum papam Damaſum. Novum Opus me facere cogis* &c. Item *Argumentum Secundum Matheum. Matheus ex iudea ſicut in ordine primus ponitur* &c. quae omnia in *Bibliis gloſſatis* habentur. Succedit Index *Capitum* XXVI. ſatis diſertus, demum ipſum Evangelium locis harmonicis aliorum Evangeliſtarum diligenter in margine adnotatis. Atque eadem horum eſt ratio; *Marcus* enim Prologum: *Marcus Evangeliſta Dei et Petri in Baptiſmate filius* &c. et Indicem *Capp.* XIII. *Lucas* Prologum: *Lucas Syrus Antiocenſis* &c. et Indicem valde diſertum *Capp.* XXI. *Johannes* Prologum: *Hic eſt Johannes Euangeliſta vnus ex diſcipulis* &c. et Indicem *Capp.* XIV. praefert. Exordium *Lucae* uſque ad verba: *Fuit in diebus Herodis* &c. non eſt accenſitum *Capiti* I. ſed continuo poſt Indicem ſcriptum, et in *Cap. Joh.* ultimo poſt verba: *quę fecit iheſus*, adjecit miniculator: *Finit*, verbis: *Sunt autem et alia multa* &c. deinceps inſtar Epilogi ſubjunctis.

Addam etiam in curioſorum gratiam, quod ad calcem praeclari hujus Codicis a manu ejusdem Seculi reperi titulo: *Ad conficiendum Incauſtum. De Galla accipe 1. libram. De Fytreolo fertonem unum. De Gummi 1. fertonem. De Vino libram vnam et dimidiam. Horum quodlibet in mortario ſpecialiter contundas. et in vino poſitum per aliquantulam horam moueas. et ſic de quolibet fatias. ſed primo gallam imponas. ſecundo fytreolum. tertio Gummi. et hoc in vaſe ereo uel eneo.* Galla ſignificatu theotiſco ſupra poſito vocatur *Aichaphel*, Vitriolum *Chopherrouch*, Gummi *Flidem*, quod poſtremum mihi ignotum. *Ferto* (*Farthing*, *Vierting*, *Viertel*) quarta pars librae hic eſſe videtur; *Incauſtum* vero non Εγκαυστον Graecorum, ſed Atramentum ſcriptorium puta.

Codicem olim a ſe emtum *Joh. Faber* egregius ille Vindobon. Antiſtes a. 1540. Paedagogio ſuo ad D. *Nicolaum* legaverat.

DCCCXXXV.

Codex membraneus lat. Sec. U. 21 XII. Folior. 176. f. luculente, nitideque exaratus et rubricis diſtinctus hoc Titulo eſt: *Incipiunt Lectiones cum euangeliis per circulum anni.* Initium a Vigilia Nativitatis. *Lectiones* ſeu *Propheticae* ſive *Apoſtolicae*, uti et *Evangelia* exhibentur integre, prout in Miſſa recitantur. Officia *de Tempore* pertingunt uſque ad *fol.* 129. p. 2. atque ibi: *Incipit Breuiarium per totum annum de Sanctis*, et quidem a S. *Columba* Virg. 31. *Decembr.* rectęque *Breviarium*; paſſim enim non niſi initia *Lectionum* indicantur. SS. *Waltpurga*, *Udalricus*, *Kylianus*, *Arbogaſtus*, *Afra*, *Verena*, *Magnus*, *Emeramus*, *Pirminius*, *Othmarus* Dioceſin *Argentinenſem*, aut *Auguſtanam* innuere videntur. *Fol.* 157. incipiunt Lectiones *de Communi*

SS.